

DE STUDIO SACRAE SCRIPTURAE CONSIDERATIO

SUMMARIUM. - De studiis biblicis tum propter theologicum rei momentum, cum propter quasdam difficultates hodiernae renovationi biblicae proprias brevi disserentes, quaedam proponimus consideranda quae et ex ipsa Scripturae Sacrae natura et ex humanae cognitionis conditionibus exiguntur, ut, rectā in his studiis methodo adhibitā, finem a Deo sese in Scripturis revelante intentum, nempe ut Ipse magis noscatur magisque ametur, Ecclesia duce secure consequamur.

Omnis recta Scripturarum cognitione in hunc finem tendit, *ut noscamus melius Deum, eumque magis amemus*. De quo disputandum non est, cum hujus profecto rei gratia non solum Scripturarum thesaurum, sed ipsum *vita* donum hominibus esse largitum ab omni veri nominis Christiano agnoscatur. Sunt autem qui dicunt in hunc finem obtinendum sufficere pietatem et fidem, non autem requiri scientifici laboris sudorem. Re enim vera « fides docet omnia necessaria ad bene vivendum... et nullus philosophorum ante adventum Christi cum toto conatu suo potuit tantum scire de Deo... quantum post adventum Christi scit una vetula per fidem »¹ et « plus scit modo una vetula de his quae ad fidem pertinent, quam quondam omnes philosophi ».² Quod quidem de vetulis Universalis atque Angelicus Doctor verissime asseruit, neque umquam inde conclusit sacrorum esse studiorum fervorem negligendum sacerdotibus, quibus theologiae contemptus recte criminis daretur, docente divo Hieronymo « sanctam rusticitatem sibi soli prodesse, nam quantum ex vitae merito ecclesiam Christi aedificaret, tantum nocere, si contradicentibus non resistat... Sacerdotis enim officium esse, interrogatum respondere de Lege »;³ idemque Sanctus ironice carpit clericorum 'justam' ignorantiam scribens: « Rusticitatem illi solam pro sanctitate habent, piscatorum se discipulos adserentes, quasi idcirco justi sint, si nihil scierint ».⁴ Cujus in sententiae firmamen prophetiam profert auctoritatem:

Labia sacerdotis custodient scientiam
et Legem requirent ex ore ejus,
quia Angelus Domini exercituum est.⁵

Si jam in illis qui saeculares litteras norunt indecorum est ingeniū in mundanis quidem rebus exercere, in re autem religiosa ab intellectus conatu torpescere et ignorantia foedari, multo magis in nobis

¹ S. THOMAS AQ., *In Symbolum Apostolorum*, n. 862; Taurini et Romae, Marietti, 1954, tom. 28 [*Opuscula theologica II*] pag. 193.

² S. THOMAS AQ., *Sermo III*; Parisiis, Vivès, 1874-89, tom. 32, pag. 676 a.

³ S. HIERONYMUS, *ep. 53 ad Petrum Nolanum 3*; CSEL 54, 447, PL XXII, 542.

⁴ S. HIERONYMUS, *ep. 27 ad Marcellam 1*; CSEL 54, 224; PL XXII, 431.

⁵ *Malachias 2, 7.*

ecclesiasticis viris sacerdotio auctis esset turpe ab opere nobis divinitus demandato feriari et intellectuali labore neglecto contemplationis lumen praestolari gratis. « *Sancta* » enim rusticitas haberi non potest in nobis qui divina voluntate vocamur, ut theologico labori operam demus.

Unde cogitatio nostra ad Sacrae Scripturae studia cito convertitur, tum quia revelationis, cui sacra scientia tota innititur, fons (una cum Apostolica Traditione) saltem aequem primarius est, cum quia hodiernis praesertim temporibus, ferventibus denuo studiis biblicis, clerici juniores non raro circa Sacram Scripturam idearum confusione premuntur atque in cogitandi discrimen aguntur. Qua de re (unum expiscamus exemplum) novellus quidam sacerdos notitias de Sacra Scriptura incompletas et invicem non cohaerentes in studiorum curriculo sibi traditas esse conquestus adjecit scribens: « ...et valde difficile est invenire viam quae a scientia biblica ducat ad genuinum Sacrae Scripturae spiritum, ideoque saepissime studens inops consilii manet, et jam multum est, si saltem Sacrae Scripturae reverentiam servet ».⁶ Quod autem de studiorum biblicorum ratione et methodo quibus et Fidei spiritus alte servetur neque scientifici laboris hodiernis praesertim temporibus auctae exigentiae negligantur inter theologos quoque viros non una est peritorum sententia, ita ut in alia alii abeant placita, palam est res.

Visum est ergo mihi non ligna in silvam, non noctuas Athenas me ferre, si quaedam consideranda struo quae ut omnibus utique nota, ita nova semper meditatione sunt digna.

« VERBUM DEI »

Sana ergo methodus ante omnia a quoque in hac provincia operam navante id exigit, ut alta mente consideret quid demum sit ista Scriptura quae 'sacra' vocari consuevit; neque nobis jam Fide scientibus meditationem istam negligendam puto, ne circa Scripturam nobis accidat quod de omnibus Fidei veritatibus tristis experientia docet: eas utique fidelibus esse notas, sed cum continua meditatione in sucum et sanguinem non vertantur, in usum vitae fere nullam eas vel nullam omnino exercere vim. Ideoque non pigeat nota repetere lenteque procedere. Dicimus ergo: Cum omnis scriptura signa contineat ad placitum ab hominibus electa quibus verba manifestentur conceptum mentis pandentia, haec de qua agitur Sacra Scriptura a profana litterarum colluvie secernitur et specialem dicit ad rem religiosam rationem. Qualiscumque demum in concreto haec sacra scriptura erit, *sacra* cum sit, jam eo ipso attingit Numen, id est Divinum; ideoque ab homine peculiarem imprimis exigit religiosam reverentiam. Quam notionis nominalis veritatem et ordinis practici sequelam (reverentiam dico) omnis homo — dummodo sanae sit mentis neque atheismi morbo infectus — intelligere potest et debet.

Nobis autem Fide doctis compertum est *Sacram Scripturam esse Verbum Dei formaliter scriptum ipso Deo peculiari auctore*. Vox au-

⁶ Epistula ad editorem missa, publici juris facta in periodicis commentariis *Der Seelsorger*, Wien, 25 (1954/55) 267.

tem 'Verbum Dei' in definitione posita secundum genus convenire dicendum est cum Verbo Dei substantiali, cum Verbo Dei incarnato (analogice, uti patet), cum omnibus locutionibus divinis ad homines factis (univoce quidem), immo cum miraculis et ceteris omnibus 'manifestationibus' divinis (cogita de creatione et conservatione rerum, de humani generis historia a Deo in suum finem moderata) quibus omnibus Deus hominibus (analogice) 'loquitur'. Ideoque pro differentia specifica additur 'scriptum' et quidem formaliter scriptum, id est prout ab ipso Deo intenditur ut 'Verbum Dei scriptum' et distinguatur ex. gr. a 'verbo Dei' ad Sanctam Theresiam supernaturaliter facto atque ab ipsa in Relationibus vel in libro Vitae 'materialiter' scripto, cuius scriptionis peculiaris auctor non est ipse Deus, sed Sancta Theresia.⁷

Substantia definitionis supra expositae de fide est; docet enim Vaticanicum I quod Veteris et Novi Testamenti libri integri cum omnibus suis partibus « *Spiritu Sancto inspirante conscripti Deum habent auctorem* ».⁸ Quae verba a Leone XIII in encyclicis litteris « *Providentissimus* » resumuntur gravi exordio: « Haec est antiqua et constans fides Ecclesiae, solemnii etiam sententia in Conciliis definita Florentino et Tridentino; confirmata denique atque expressius declarata in Concilio Vaticano ». Prolatis deinde concilii Vaticani I verbis supradictis notam addit inspirationis declarationem⁹ quam Benedictus XV in encyclicis litteris « *Spiritus Paraclitus* »¹⁰ ad apicem repetit: « Quae nihil admundum refert, Spiritum Sanctum assumpsisse homines tamquam instrumenta ad scribendum... Nam supernaturali Ipse virtute ita eos ad scribendum excitavit et movit, ita scribentibus adstitit, ut eaque omnia eaque sola, quae Ipse juberet, et recta mente conciperent et fideliter conscribere vellent, et apte infallibili veritate exprimerent; secus, non Ipse esset auctor Sacrae Scripturae universae ». In his omnibus auditur quasi echo fidelis illius quod S. Gregorius Magnus in praefatione Moralium in libri Job¹¹ affirmaverat: « *Quis haec scripserit valde supervacue quaeritur, cum tamen auctor libri Spiritus Sanctus fideliter crederetur* ».

Neque tamen nostrum est hic quaestionem ingredi inter theologos disputatam quomodo inspirationis factum psychologice possit accuratius pressiusque explicari.¹² Nihilominus repetere juvat sanae methodologiae principium fundamentale: ea quae certa jam sunt, disputacionibus circa ea quae adhuc incerta habentur (vel circa modum quo explicari possint et debeant) non tangi, sed inconcussa manere. Quod in casu nostro significat: certum jam est — et quidem maxima, nempe Fidei, certitudine — Deum esse Sacrae Scripturae auctorem, eamque

⁷ In danda explicandaque definitione secuti sumus iis quae habentur in opere Collegii Batiensis ff. Discalceatorum Ordinis B. Mariae V. de Monte Carmelo cursus theologicoo-expositivus, cuius tomus primus est: P. EMMANUEL A S. HIERONYMO, O. C. D., *Praedicamenta Biblica*, q. 1, par. 1; Barcinonae, 1728 (opus postumum), pag. 54.

⁸ *Conc. Vat. I.*, Sess. 3, cap. 2, *De revelatione* (cf. Denz. [1963] n. 3006).

⁹ LEO XIII, Litt. Enc. *Providentissimus*. ASS 26 (1893-94) 288.

¹⁰ BENEDICTUS XV, Litt. Enc. *Spiritus Paraclitus*. AAS 12 (1920) 393.

¹¹ PL LXXV, 517.

¹² Quoddam novum tentamen proponitur a CAROLO RAHNER, *Über die Schriftinspiration* (*Quaestiones Disputatae I*); Freiburg im Breisgau, 1958; de quo videsis aestimationem in *VD* 36 (1958) 357-365.

esse Verbum Dei scriptum. Haec veritas Fidei *nullo modo* tangitur disputationibus vel circa modum inspirationis vel aliis quibuslibet. Manet ergo inconcussum quod *reverentia summa* ad hunc librum divinum accedendum sit qui verbum Dei scriptum continet atque ideo, cum verba sint signa conceptuum, nobis manifestat *conceptus Dei*.

« VERBUM HUMANUM »

Inter varias in re nostra analogias ea pulchrior et rei vicinior est qua Verbum Dei scriptum comparatur Verbo Dei incarnato. Utrumque enim 'Verbum Dei' (conceptu utique analogo) quodammodo 'humanatur' et 'corporificatur' — ut barbaris vocabulis dicam; ex una parte Verbum Dei corpus induit assumendo humanam naturam, altera ex parte Verbum Dei 'corpus' induit assumendo sermonis humani scripturam. Comparatio evidenter analogica est, sed utilis, ut sequens expeditio monstrabit.

Contemplare primum Verbum Dei incarnatum: Deus est, Verbum Dei consubstantiale, nihil deitatis amisit incarnationis mysterio..., sed tamen, quid vides tu? Pusionem parvulum vagientem in praesaepio, pannis involutum, lacte modico pastum; sine matre fovente periret fame siti frigore — immo, sine matre humana *neque esset*: quia — quamvis de absoluta potentia sua Deus sine matre potuisset humanam assumere naturam — in hoc ordine rerum ita placitum fuit, ut Verbum Dei fieret puer natus ex muliere. Pusio ille vere et proprie filius Mariae, Maria vere et proprie mater illius: Verbum Dei filius Mariae, Maria vere θεοτόκος. Insuper, sine matre Maria puer *neque esset talis*; a Maria enim matre accepit corporis compaginem concretam: hanc formam, hunc aspectum, hanc faciem, hos colores in capillis, in oculis, in cute; natus ex muliere, factus sub Lege: per matrem Mariam sortitus est etiam civitatem et nationem, eamque Hebraeam. Hoc vides, tantummodo hoc. Et tamen, qui hunc Hebraeum infantem ab ubere primum, puerum postea, adulescentem, juvenem, virum videt, Deum videt.

Analogia utamur; vide nunc Verbum Dei scriptum: Verbum Dei est, Deum habet auctorem, conceptus Dei continet, nihil divini amisit humanis apicibus, summa reverentia digna est. Sed quid vides tu? Librum, librum humanum, unum de multis, ab homine auctore conscriptum, immo a pluribus, nam auctoribus variis diversa scribentibus paulatim Scriptura concrevit in 'corpus'. Et indigit curis: ut servetur, transcribatur, in promptu habeatur. Immo, sine auctore humano scribente *neque esset*, quia — quamvis de absoluta potentia sua Deus facere potuisse, ut sine homine auctore Sacra Scriptura e coelis laberetur in terram — in hoc ordine rerum ita placitum fuit, ut Verbum Dei fieret liber ab auctoribus humanis conscriptus. Liber ille vere et proprie 'filius' (de ingenii filio loquor) illius qui scripsit, hagiographus vere et proprie libri est auctor. Revera Verbum Dei scriptum 'in manu' Isaiae (quem exempli causa nomino), revera Isaias Verbi Dei scripti est auctor. *Neque esset talis* Sacra Scriptura sine auctoribus humanis ita scribentibus: ab illis enim accepit apicum formas et linguam et stilum, ab illis litteraria quae dicuntur genera sumpsit. Hoc vides, tantummodo hoc: librorum corpus conscriptum linguis Hebraica, Aramaica,

Graeca (et quali Graeca!), et litteraria genera Antiqui Orientis, et stilum a nobis aliquando alienum neque ideo semper primo intuitu intellectui pervium. Et tamen, qui hos legit libros, Divinam legit Scripturam; qui intelligit, Verbum Dei et conceptus divinos in succum et sanguinem sibi convertit.

« COGNOSCERE VERBUM DEI »

Conatus ergo noster id agere debet, ut hanc Sacram Scripturam, Verbum Dei scripturam, cognoscamus et discipulis nostris cognoscere faciamus. Ut gressus nostros recta via dirigamus, juvat repetere qualis demum possit esse humana cognitio, qua de re scholae doctrinam brevissime dicam. Est enim prima cognitio *prae-scientifica*, ad quam pertinet 'notio nominalis' in studiis speculativis, in positivis vero 'collectus materiae'; quam sequitur cognitio *scientifica*, quae dicitur naturalis, si intellectus non procedit nisi lumine naturali, theologica vero, si lumine revelationis virtualis procedit; tandem habetur cognitio quae *spiritualis* possit appellari, si nempe objectum cognitum fit praesens etiam ut amatum in voluntate. Quam de cognitionum generibus doctrinam quodammodo nunc ad rem biblicam applicemus oportet.

DE COGNITIONE PRAE-SCIENTIFICA SACRAE SCRIPTURAE.

Primus hujus cognitionis gressus est illa quam *cognitionem materiale* appellamus quae tunc habetur cum ipse textus Sacrae Scripturae prout jacet, sine ulterioris explicationis conamine, simpliciter notus est. Textus, inquam, *totius* Scripturae. Hic gressus certe primus et maxime necessarius est qui recte totius altioris doctrinae scripturisticae adipiscendae fundamentum putatur. Multa enim 'problemata' circa Sacram Scripturam jam eo ipso disparerent, si *sciremus* Scripturas; multoties enim infauste accidit quod de quaestionibus specialibus et particularibus valde disputatur ab iis qui Sacram Scripturam uti talem — id est totum textum totius Scripturae — non norunt. Unde multa profluent mala.

Cognitionem *prae-scientificam secundum apparentiam* habent illi, qui in Sacra Scriptura nihil vident praeter specimina quaedam *litterarum Antiqui Orientis*; sunt illi qui dicunt: Nonne 'fratres' et 'sorores' hujus Scripturae cognoscimus? Nonne annales et libri narrantes de bellis aliisque rebus in Antiquo Oriente gestis apud nos sunt? Nonne poesim et 'sapientiam' quae apud Assyrios et Babylonios, quae apud Aegyptios viguit, jam bene cognoscimus? Nonne Scriptura in omnibus his similis est?

Cognitionem autem *prae-scientificam intuitivam* habent illi, qui Scripturam re vera *Sacram* aestimant eamque summa veneratione religiosa legunt ideoque multa recte intelligunt.

DE COGNITIONE SCIENTIFICA NATURALI SACRAE SCRIPTURAE

Haec circa suum objectum *materiale* (Scripturam) diversimode occupatur. Imprimis ipsum *textum primigenium* diversis rationibus attingit et enucleat: v. gr.,

critices textualis id agit, ut « textum sacrum, quantum fieri potest, quam perfectissime restituat, a depravationibus infirmitate amanuensium illatis eum expurget, eumque a glossis et lacunis, a verborum inversionibus ac repetitionibus ab aliisque omne genus mendis, quae in litteras per multa saecula traditas irrepare solent, pro viribus liberet ».¹³

philologia, linguarum biblicarum ac ceterorum quoque orientalium sermonum peritia fultus, accuratum vocabulorum conceptum determinat, expressionum ideomaticarum et grammaticalium constructionum sensum genuinum detegit, singula enuntiata perspicua et intelligibilia reddit,¹⁴

pervestigatio antiquarum Orientis litterarum sic dicta 'genera litteraria' discernit quae illius vetustae aetatis scriptores adhibuerint; ii enim, ut quod in mente haberent exprimerent, non semper iisdem formis iisdemque dicendi modis utebantur, quibus nos hodie. « Etiam apud Sacros Scriptores sicut apud ceteros antiquos certas quasdam inveniri exponendi narrandique artes, certos quosdam idiotismos, linguis praesertim semiticis proprios, approximationes quae dicuntur, ac certos loquendi modos hyperbolicos, immo interdum etiam paradoxa quibus res firmius menti imprimantur, nemo sane miretur, qui de inspiratione biblica recte sentiat. A Libris enim Sacris nulla aliena est illarum loquendi rationum, quibus apud veteres gentes, praesertim apud Orientales, humanus sermo ad sententiam exprimendam uti solebat... quemadmodum pro sagacitate sua jam ipse Angelicus Doctor hisce verbis animadvertisit: 'In scriptura, *divina* traduntur nobis per modum quo *homines* solent uti'.¹⁵ Sicut enim substantiale Dei verbum hominibus simile factum est quoad omnia absque peccato, ita etiam Dei verba humanis linguis expressa quoad omnia humano sermoni assimilia facta sunt, excepto errore ».¹⁶

Disciplinae tandem *historicae et archeologicae* quasi scientiae auxiliares textus intelligentiam adiuvant cum res antiquitus gestas enarrant, locorum situm et configurationes geographicas illius temporis describunt, mores populorum atque Antiqui Orientis 'folklore' et similia ostendunt.

Quae omnia, etsi lumine naturali intellectus et principiis regulisque singularium disciplinarum propriis exercentur, viro quoque theologo, vel cuicunque profectus spiritualis cordi est, ob ipsam reverentiam divino eloquio debitam, cuius minima quaeque summa cum cura ac veneratione quasi arripienda sunt,¹⁷ plurimi sunt aestimanda. Haud parvi enim momenti est divini eloquii textum authenticum possidere, vocabula nosse secure, phrases et stylum recte comprehendere, genera litteraria eo quo scripta sunt sensu intelligere, et quaecumque ad meliorem textus sacri intelligentiam juvare possunt sedulo adhibere. Semper tamen alta mente teneamus totam Sacrae Scripturae

¹³ PIUS XII, Litt. Enc. *Divino afflante Spiritu*. AAS 35 (1943) 307-308.

¹⁴ *ibidem*, 306-307.

¹⁵ S. THOMAS AQ., *Comment. in ep. ad Hebr.*, cap. I., lect. 4., n. 64; ed R. CAI, *S. Thomae.. super epistolas S Pauli lecturae*, Taurini et Romae, Marietti, 1953, vol. 2, pag. 350.

¹⁶ PIUS XII, Litt. Enc. *Divino afflante Spiritu*. AAS 35 (1943) 315-316.

¹⁷ cf. *ibidem*, 306-308.

scientificam cognitionem naturalem non esse nisi theologiae biblicae *ancillam* ideoque eam servire non dominari debere. Sacrae Scripturae studens ergo sedulo vitet, quominus scientiis his auxiliaribus (multae cum sint, nec brevi possint exponi) quasi obrutus maneat, ut amplius in Scriptura nihil videns praeter historiam, archeologiam, philologiam et cetera hujusmodi, penitus obliviscatur se prae manibus « Dei Verbum » habere.

DE THEOLOGICA SACRAE SCRIPTURAE COGNITIONE SCIENTIFICA

Haec demum in objecto materiali quidem (Sacra Scriptura) cum supra dictis scientiis naturali lumine comparatis coincidit, differt autem in sequentibus: ejus *objectum formale quod est Deus loquens per Scripturas; objectum formale quo in esse rei seu ratio formalis quae est Deitas sub conceptu veritatis in essendo connotata auctoritate explicite sermonem; objectum formale quo in esse scibilis seu ratio formalis sub qua est revelatio mediata (id est revelatio adjuta discursu formalis) Dei loquentis per Scripturas.*¹⁸

Haec scientifico-theologica *cognitio « Dei loquentis per Scripturas »* tum demum possibilis evadit, cum Sacrae Scripturae sensus litteralis optime perspectus habetur. Jam S. Thomas monuerat in Summa Theologica: « Omnes sensus fundantur super unum, sc. litteralem, ex quo solo potest trahi argumentum ».¹⁹ Ideoque Pius XII in encyclicis litteris « Divino afflante Spiritu » praecipue scripsit hortamen: « Linguarum antiquarum cognitione et criticae artis subsidiis egregie instructus exegeta catholicus ad illud accedat munus, quod ex omnibus ei impositis *summum est*, ut nempe germanam ipsam Sacrorum Librorum sententiam reperiat atque exponat. Quo in opere exsequendo ante oculos habeant interpres sibi illud omnium maximum curandum esse, ut clare dispiciant ac definiant, quis sit verborum biblicorum sensus quem *litteralem* vocant. Hanc *litteralem* verborum significationem omni cum diligentia per linguarum cognitionem iidem eruant... ut auctoris mens luculenter patescat ».²⁰

Quo sensu litterali secure stabilito secundus sequatur oportet *theologicae elaborationis* gressus; iterum Pii XII in eadem encyclica monentis verba proferimus: « Sacrarum autem Litterarum exegetae, memores de verbo divinitus inspirato heic agi, cuius custodia et interpretatio ab ipso Deo Ecclesiae commissa est, non minus diligenter rationem habeant explanationum et declarationum *magisterii Ecclesiae*, itemque explicationis a *Sanctis Patribus* datae ... ». Et porro addit paullo post: « Singulari vero studio id agunt, ut non tantum — id quod in quibusdam commentariis fieri dolemus — eas res exponant quae ad historiam, archaeologiam, philologiam, ad aliasque hujusmodi disciplinas spectent; sed illis quidem opportune allatis ... ostendant

¹⁸ Brevi constrinximus ea quae ample discutit EMMANUEL A S. HIERONYMO, O. C. D., *Praedicamenta Biblica*, disp. praevia « De objecto »; Definitiones supra prolatae inventiuntur respective quaest. I, n. 16 et 20; quaest. II, par. 2, n. 40; Barcinonae 1728, pp. 5^b, 8^a, 17^b.

¹⁹ S. THOMAS Aq., I, q. 1, art. 10, ad 1.

²⁰ PIUS XII, Litt. Enc. *Divino afflante Spiritu*. AAS 35 (1943) 310.

*potissimum quae sit singulorum librorum vel textuum *theologica doctrina* de rebus fidei et morum, ita ut haec eorum explanatio non modo theologos doctores adjuvet ad fidei dogmata proponenda confirmandaque, sed sacerdotibus etiam adjumento sit ad doctrinam christianam coram populo enuncieandam, ac fidelibus denique omnibus ad vitam sanctam homineque christiano dignam agendam adserviat ».*²¹

DE SPIRITALI COGNITIONE SACRAE SCRIPTURAE.

Quae quidem *scientifico-theologica Sacrae Scripturae cognitio* non solummodo non est aliena ab amore Dei loquentis per Scripturas, sed e contra talem amoris flammam ciet et alit. Audiamus iterum Pium XII in eādem encyclica « Divino afflante Spiritu » affirmantem: « Talem cum dederint interpretationem imprimis, ut diximus, *theologicam*, efficaciter illos ad silentium redigent, qui asseverantes se vix quidquam in biblicis commentariis invenire quod mentem ad Deum extollat, animum enutriat, interiorem vitam promoveat, ad spiritualem quandam et mysticam, uti ajunt, interpretationem confugiendum esse dictitant. Quod quam parum recte profiteantur, ipsa multorum experientia docet, qui *verbum Dei iterum atque iterum considerantes ac meditantes, suum animum perfecerunt et erga Deum sunt vehementi amore permoti* ».²²

Ut ex verbis Summi Pontificis Pii XII in paragraphe precedenti prolatis luculenter patet, hīc non agitur de novo quodam pseudo-spiritualis vel pseudo-mysticæ interpretationis genere, sed de mediis quae nos efficaciter adjuvant, ut non tantummodo ‘eruditio’ quaedam biblica intellectui nostro fiat praesens « tamquam cognitum in cognoscente », sed ut potissimum *ipse Deus loquens per Scripturas nostrae fiat praesens voluntati tamquam amatum in amante* ». Quod quidem potest fieri tum per cognitionem Bibliae « spiritualem meditativam » (de qua, recto sensu intellecta, nobis hīc interest), cum per contemplationem veri nominis mysticam. In cognitione ergo « *meditativa* » cognatus cognoscentis activus in hoc tendit, ut objectum cognitionis apprehendatur tamquam cognoscenti affinis, conveniens, afficiens; ex tali enim cognitione oritur amor.

Ad rem scribit S. Thomas: « Voluntas enim ... sic se habet in rebus intellectualibus sicut naturalis inclinatio in rebus naturalibus quae et naturalis appetitus dicitur. Ex hoc autem oritur inclinatio naturalis quod res naturalis habet *affinitatem et convenientiam* secundum formam, quam diximus esse inclinationis principium, *cum eo ad quod movetur*. Unde etiam hinc oritur omnis inclinatio voluntatis quod per formam intelligibilem aliquid *apprehenditur ut conveniens vel afficiens*. Affici autem ad aliquid, inquantum hujusmodi, est amare ipsum. ... Sic igitur quod amatur non solum est in intellectu amantis, sed etiam in voluntate ipsius: aliter tamen et aliter. In intellectu enim est secundum similitudinem suaे speciei, in voluntate autem amantis est sicut terminus motus in principio motivo proporcionato per convenientiam et proportionem quam habet ad ipsum. ... Quod autem aliquid sit in voluntate ut amatum, ordinem quendam habet *ad conceptionem*

²¹ *ibidem*, 310.

²² *ibidem*, 311.

qua ab intellectu concipitur, et *ad ipsam rem ...: non enim amaretur aliquid nisi aliquo modo cognosceretur, nec solum amati cognitio amatatur*, sed [ipsum objectum cognitum amat] secundum quod in se bonum est. Sed ... amatum in voluntate existit ut inclinans et quodammodo impellens intrinsecus amantem in ipsam rem amatam... » Ita ille.²³

Quae omnia, cum in « cognitione spirituali *meditativa* » conatu activo cognoscentis *quaerantur*, in « cognitione spirituali *contemplativa* » simpliciter *habentur*, ideoque contemplatio a S. Joanne a Cruce ἐνδιαένοι²⁴ passim dicitur « *noticia y amor* », et cum amor vere contemplativus non sit tantummodo affectivus, sed summe effectivus, saepius S. Joannes metaphorico utitur trinomio « *luz, calor y fuerza* ».

In his autem hīc insistendum non est, cum non de mystica contemplatione, sed de *studio* Sacrae Scripture scribere nobis proposuerimus; ideoque theologiae mysticae quaestiones pro nunc relinquentes quaedam adnectere nobis visum est de his quae cognoscendi Scripturam conatum activum respiciunt, ut nobis melius eluceat qua methodo finis ab Ecclesia nobis propositus attingatur; atque tandem qua ratione quibusdam difficultatibus qui in hac provincia exsurgere solent nobis recta ratione obviam eundum sit ostendere conati considerationem nostram concludemus.

DE COGNITIONIBUS BIBLICIS ORDINATE ACQUIRENDIS.

Inconcussum stat principium diversa cognitionis biblica generā — cognitiones inquam 'materialem', 'scientifico-naturelam', 'scientifico-theologicam' — in usus vitae esse eo fine unienda, ut non solum rerum biblicalium notiones coacerventur a nobis, sed potissimum Deum per Scripturas nobis loquentem amemus. Quem in finem obtinendum imprimis maxime confert ipsa *materialis Sacrae Scripturae cognitio* sedulo excolenda. Ista enim cognitio materialis prioritate naturae cognitionem scientificam sive naturalem sive theologicam praecedit. Ideoque ante omnia, ut plene nota fiat, Sacra Scriptura *legenda est*, ne nobis infauste contingat quod multos quidem de re biblica libros commentariosque a recentioribus editos optime noverimus, ipsi vero Sacrae Scripturae textui haud ita diligenter studeamus. Ut tale nefas vitetur, brevissime tria consideremus: quando legendum? qua lingua? quo modo?

Audiamus Hieronymum, in Scripturis exponentis Doctorem Maximum; inter alia haec nos hortatur: « Omni studio legendae nobis Scripturae sunt et in Lege Domini meditandum die ac nocte ».²⁵ « Exerceatur sensus, mens quotidie Divina Lectione pascatur ».²⁶ Et ad Furiam scribens insistit: « De Scripturis Sacris habeto fixum versuum numerum, istud pensum Domine tuo redde; nec ante quieti membra concedas quam calathum pectoris tui hoc subtegmine impleveris ».²⁶

²³ S. THOMAE AQ., *Summa contra Gentiles*, lib. IV, cap. 19; ed. Leonina, tom. 15, pag. 74-75.

²⁴ S. HIERONYMUS, *In Eph.* 4, 31; PL XXVI, 549.

²⁵ S. HIERONYMUS, *In Tit.* 3, 9; PL. XXVI, 630.

²⁶ S. HIERONYMUS, *ep. 54, ad Furiam*, n. 11; CSEL 54, 478; PL XXII, 555.

Cum Maximus Doctor hanc *quotidianam* Scripturarum lectionem simplicibus fidelibus inculceret, ne dubitemus quin monita ista a fortiore ratione nobis sacerdotibus dicta intelligamus.

Haec autem quotidiana lectio biblica, qua lingua fiat? Sancta Thes-
teria Lexoviensis testatur: « Sacerdos si essem, Hebraicam et Graecam
linguam didicisset, ut Verbum. Dei iis possem legere linguis quibus
ipse Deus uti dignatus est ».²⁷ Haec Sanctae Theresiae verba non so-
lum stimulos admovet nobis sacerdotibus, sed simul intimam dant rationem cur optimum foret Sacrae Scripturae textum primigenium le-
gere linguis Hebraica, Aramaica, Graeca: quia *ipse Deus*, cum se ho-
minibus revelaret, uti dignatus est *istis linguis*. Neque candidae, sed rerum ignarae monialis sunt somnia, sed Summorum Pontificum vota.
Sanctus enim Pius Papa X hac de re scribit: « Alumni qui majorem
de se spe facient *Hebraeo* sermone et *Graeco* biblico ... erunt excolendi » et verba Leonis XIII ex encyclicis litteris « *Providentissimus* » pro-
ferens prosequitur: « Sacrae Scripturae magistris *necesse est* atque
theologos *addecet*, eas linguas cognitas habere quibus libri canonici
sunt primitus ab hagiographis exarati, easdemque *optimum factu erit*
si colant alumni Ecclesiae ».²⁸ Pius vero Papa XII., inter multa alia
quae ad excitandum linguarum biblicalarum studium protulerat in en-
cyclicis litteris « *Divino afflante Spiritu* » haec quoque habet: « Ca-
tholico interpreti, qui ad Sacras Scripturas intelligendas explanandas-
que accederet, jam Ecclesiae Patres ... veterum linguarum studium et
ad textus primigenios recursum magnopere commendabant. ... Tanta
porro nunc suppetit subsidiorum copia ad eos sermones addiscendos,
ut Biblorum interpres qui, illis neglectis, ad textus primigenios sibi
praecluserit aditum, levitatis et cordiae notam effugere minime pos-
sit. ... Quare diligenter id agat, ut linguarum biblicalarum ... in dies
majorem sibi comparet peritiam ... Id quidem divus Hieronymus pro
suae aetatis cognitionibus, sollicite consequi studuit ... ».²⁹

De qua sollicitudine ipse S. Hieronymus senex ad Rusticum mo-
nachum juvenem scribens testatur:³⁰ « Dum essem juvenis et solitu-
dinis me deserta vallarent, incentiva vitiorum ardoremque naturae
ferre non poteram, quem cum crebris jejuniis frangerem, mens tamen
cogitationibus aestuabat. Ad quam edomandam cuidam fratri qui ex
Hebreis crediderat me in disciplinam dedi, ut post Quintiliani acu-
mina, Ciceronis fluvios, gravitatemque Frontonis et lenitatem Plinii al-
phabetum discerem et stridentia anhelantiaque verba meditarer. Quid
ibi laboris insumpserim, quid sustinuerim difficultatis: quoties desper-
raverim, quoties cessaverim et contentione discendi rursus inceperim,
testis est conscientia: tam mea qui passus sum, quam eorum qui
mecum duxerunt vitam. Et gratias ago Domino qui de amaro semine
litterarum dulces fructus carpo ». Item Stridoniensis noster de S. Paula,

²⁷ cf. ST. THÉRÈSE DE L'ENFANT JÉSUS, *Conseils et Souvenirs*, 3^e éd., Lisieux, 1961, pag. 80: « Si j'avais été prêtre, j'aurais étudié l'hébreu et le grec afin de pouvoir lire la parole de Dieu tel qu'il daigna l'exprimer dans le langage humain ».

²⁸ S. PIUS X, Litt. Apost. *Quoniam in re Biblica*. ASS 39 (1906) 79.
LEO XIII, Litt. Enc. *Providentissimus*. ASS 26 (1893-94) 285.

²⁹ PIUS XII, Litt. Enc. *Divino afflante Spiritu* AAS 35 (1943) 306-307.

³⁰ S. HIERONYMUS, *ad Rusticum monachum*; CSEL 56, 131; PL XXII, 1079.

cum hujus matronae epitaphium filiae virginis mitteret, scribere potuit:³¹ « Loquar et aliud quod forsitan aemulis videatur incredulum: Hebraeam linguam, quam ego ab adulescentia multo labore ac sudore ex parte didici et infatigabili meditatione non deserio, ne ipse ab ea deserar, discere voluit et consecuta est ita, ut psalmos Hebraice caneret et sermonem absque ulla Latinae Linguae proprietate resonaret. Quod quidem usque hodie in sancta filia ejus Eustochio cernimus ».

Hieronymus, certe, de se ipso loquens difficultates « quas passus est » rhetorum more exaggerat; constat enim eum Graecam et Hebraeam linguas optime didicisse, imo et « Chaldeorum » sermonem. Quo incitante et matronae et virgines linguas biblicas didicerunt.

Inter dulces fructus, quos S. Hieronymus de Hebraearum amaro litterarum semine carpsit, illud praeclarum in primis memoria dignum, quod Sacram Scripturam e textu primigenio convertere potuit, ut prophetarum vaticinia digne sonarent vatis Vergilii lingua. Haec « vulgatae editionis » Biblia Sacra noster thesaurus, haec conversio nobis diurna versanda manu, versanda nocturna. Quae « vulgatae editionis » usus commodum triplicem nobis praestabit: Est enim « Vulgata » versio illa, quae in sacra liturgia adhibetur, quaeque proinde speciali unctione non caret; nam liturgici textus facilius haerent et menti, et cordi suavius eorum tenor manet impressus. « Vulgatae » textus deinde in *sacra theologia* adhiberi atque in scholasticis disputationibus proferri consuevit; ideoque theologis viris vel maxime convenit hujus textus usum familiarem habere. Tandem — cum pudore dicam — quotidiana « Vulgatae » lectio methodus optima est, ut Romanus sermo discatur.³²

Tamen, étsi Romani sermonis sumus fervidi cultores, vernaculae quoque linguas suas habere glorias, suas in re nostra utilitates non negamus. Itaque non sine fructu recentissimae in varias linguas versiones, quae textum primigenium et fideliter exprimunt et pulchre resonant et externis adminiculis (uti sunt schemata, rationaria, tabulæ necnon photographicae locorum et rerum effossarum imagines) utiliter illustrant, vel continua lectione vel data saltem occasione possunt adhiberi.

Quoniam de linguis diximus, de modo legendi pauca addamus. Est autem prima p[ro]ae ceteris conditio, ut lectio biblica in finem nostrum

³¹ S. HIERONYMUS, *epitaphium S. Paulae*; CSEL 55, 344 s; PL XXII, 902 s.

³² De quo negotio iam Pius Papa XII. sollemni quodam alloquo dixerat: « Proh dolor, *Latina lingua, gloria sacerdotum*, nunc languidores -usque et pauciores habet cultores. Quid digne celebret hunc imperiale sermonem — βασιλικὴ γλῶσσα a Graecis appellabatur — quae vera non enuntiat sed sculptit, quae in edictis et sententiis peculiari splendet gravitate, quae in Latina Ecclesia !iturgico fruitur usu, quae denique Catholicae Ecclesiae est magni pretii vinculum? Nullus sit sacerdos, qui eam nesciat facile et expedite legere et loqui! Praeter haec utinam oriantur inter vos haud parvi et pauci qui etiam presso et eleganti genere eam scribere valeant! Enimvero Latina lingua, itemque et Graeca, cui tot ecclesiastica scripta, iam a prisco christiano aevo, commissa sunt, *thesaurus est incomparandae praestantiae*; quare sacrorum administer qui eam ignorat, reputandus est lamentabilis mentis laborare squalore ». (*Allocutio habita in Arce Gandulphi*, die 23 septembris 1951, *Collegio Internazionale O. C. D. de Urbe*; cf. *Discorsi e Radiomessaggi di Sua Santità Pio XII*, Tip. Pol. Vaticana, vol. 13 [1951-52] pag. 258).

frugifera sit, *ut lente legatur*. Omnis enim festinatio et impellens versus libri finem impetus utilitatem lectionis impedit vel tollit omnino. Insuper utile erit, si textus majoris momenti vel quibus magis affecti erimus separatim scribamus. Scribendo enim et cogemur lente procedere, et poterimus postea excerpta relegere, et facilius quae scripsimus memoriae haerebunt. Hodie enim, proh dolor, in tanta litterarum coluvie assuevimus vel pauca vel nulla memoria tenere — contra antiquorum praescripta qui hac in re multum insistunt: « Et omnino nullus erit in monasterio qui non discat litteras et de Scripturis aliquid teat; qui *minimum*, usque ad Novum Testamentum et Psalterium ».³³

Isto materialis Scripturarum cognitionis fundamento solide posito, gressibus modo paribus modo consecutivis cetera cognitionis biblicae genera nobis acquirenda sunt, de quibus supra jam diximus. Qui habitus cognoscitivi, ad rem biblicam quod attinet, si perfecte possidentur a subjecto in quo spiritualis quoque vita evoluta jam est, neque inter se neque cum fructuosa 'spirituali' Scripturarum intelligentia, quam nobis finem constituimus, ullo modo pugnabunt. Si autem imperfecte, in statu acquisitionis et augmentationis, habentur — praesertim si ista cognitionum acquisito irregulariter et inordinate procedit — nedum in subjecto vitam spiritualem quod attinet immaturo, facilius inter se et cum vitae spiritualis utilitate pugnare videbuntur, unde difficultates solent oriri quarum in remedium humilitatis et reverentiae virtutes maxime conferunt, ut statim dicemus.

DE HUMILITATE ET REVERENTIA IN STUDIIS BIBLICIS MAXIME COLENDIS.

Humilitas, veritas cum sit, non quorundam sanctorum virtus peculiaris, sed philosophica — vellem dicere 'metaphysica' — exigentia omni enti creato maxime propria est. Quae si non deficit, multas solvit tricas, problemata tollit e medio, mentis judicia reddit serena. In studiorum biblicorum provincia humili sensu sequentia pensitemus oportet:

Sacra Scriptura, cum sit Verbum Dei *humano sermone* conscriptum, proprietatibus nostrae loquelae necessario limitatur. Verbum quidem Dei *consustantiale*, unum cum sit, *omnia* dicit: et ipsum Deum et omnes participationes entis analogicas quae vel actu vel potentia existunt. Intellectualis creaturae verbum, e contra, non nisi conceptum valde limitatum continet; et quo magis in scala entium creatarum descendimus, a summis angelis usque ad hominem, eo magis limitatum invenimus verbum mentis; hominis tandem, qui inter creaturas rationales infimum obtinet locum, verbum quoque mentis minimam significandi dicendique vim habet. Ideoque nos homines, quippe qui conceptibus valde limitatis laboremus, multis indigemus verbis, ut pauca dicamus. Ex quo plane sequitur neque Sacram Scripturam, humanis usam verbis, 'uno verbo' posse omnia dicere, sed *multis indigere verbis*, ut ea quae dicenda sunt apte manifestet nosque diversis rerum aspectibus visis divinos conceptus Scripturarum oraculo reve-

³³ *Regula S. Pachomii a S. Hieronymo latine conversa*, art. 140; PL XXIII, 82.

latos paulatim noscamus. Quod ergo unus versus non docet, docebit nos alius; quod unum caput non docet, docebit nos aliud; quod unus liber non docet, docebit nos alius. Unde de doctrina Scripturae, nisi qui *totam* Scripturam cognoscit, judicare non potest.

Praeterea, sicut humani sermonis proprietas impedit, ne vel optimus magister « uno verbo » omnia doceat, sed multis magistris docendum est annos multos, ut vel modicam tradant doctrinam, ita humanae mentis limitatio recusat, quominus parata doctrina unico ictu in sucum et sanguinem a discente vertatur, sed opus est, ut nec labori nec tempori parcens discipulus longo temporis tractu discere perga. Quod in re nostra significat non tantummodo Sacram Scripturam non posse « uno verbo » omnia docere, sed neque nos posse « unico ictu » addiscere Bibliam totam. Patientia ergo adhibenda est, et quod prima lectura non monstrat, monstrabit secunda; quod primus dies non solvit problema, posterus solvet; et quod nos juvenes non videmus, videbimus senes.

Tandem, sicut *nos* non possumus omnia statim addiscere, sed paulatim in perfectiore cognitionem multo sudore nobis veniendum est, ita *nec hominum genus* inde ab initio omnia novit, sed paulatim, progrediente mundi aetate, magnos sciendi profectus fecit; multa tamen adhuc ignota manent et futuris saeculis invenienda servantur. Quae progressionis lex in scientiis biblicis quoque valet, ut aperte Pius XII encyclicis litteris docet:³⁴ « Nemo tamen miretur non omnes adhuc esse difficultates expeditas atque evictas, sed graves etiam hodie quaestiones catholicorum exegetarum mentes non parum agitare. ... Quodsi optata enodatio diu tardet nec nobis arrideat, sed forte posteris assequendus rerum felix relinquatur exitus, nemo idcirco succenseat ... ».

Jam inde ab initio, loquentes de notione nominali et de definitione Sacrae Scripturae, nostrae partis esse duximus inculcare summam reverentiam Verbo Dei debitam. Quae reverentia omnibus studiis biblicis semper praesit oportet neque umquam debet in oblivionem abire.

Quae divinarum rerum reverentia in primis nos docet quaedam Scripturis inesse naturali lumini, si eo solo utamur, impervia. Ideoque Sancti in locis Scripturae difficilioribus non tantum ad scientificam indagationis methodum, sed plus etiam ad orationem et jejunium confrigerunt, neque dubitaverunt quin aliquando dolores et mala patienter tolerata plus eis profuerint in Scripturis intelligendis quam scientificus conatus.

Eadem reverentia itemque nos docebit judicium aequum eorum, qui Verbo Dei enucleando student. Ita evitantur vitia opposita vel levider spernendi antiquiores vel acriter dammandi recentiores. Ne spernantur antiqui monet Pius XII scribens:³⁵ « Catholicus exegeta egregie iuvari poterit sollerti illorum operum studio, quibus Sancti Patres, Ecclesiae Doctores, illustreque superiorum temporum interpretes Sacras Litteras explanarunt. Illi enim, etsi interdum eruditione profana et linguarum scientia minus instructi erant quam nostrae aetatis interpretes, pro eo tamen, quod Deus in Ecclesia eis attribuit munere, suavi quadam eminent caelestium rerum perspicientia miroque mentis

³⁴ PIUS XII, Litt. Enc. *Divino afflante Spiritu*. AAS 35 (1943) 318.

³⁵ *ibidem*. 312.

acumine, quibus divini eloquii profunda intime penetrant et in lucem afferunt quidquid ad doctrinam Christi illustrandam sanctitatemque vitae promovendam conducere potest ».

De recentioribus non acriter judicandis vel praepropere damnandis in eadem encyclica Pius XII haec nos hortatur:³⁶ « Horum autem strenuorum in vinea Domini operariorum conatus non solummodo aequo justoque animo, sed summa etiam cum caritate judicandos esse certi omnes Ecclesiae filii meminerint; qui quidem ab illo haud satis prudenti studio abhorrende debent, quo quidquid novum est, ob hoc ipsum censetur esse impugnandum aut in suspicionem adducendum ».

Tandem reverentia illa divinis eloquiis debita *judicium prudenter suspendendum esse docet*, cum certa quorundam textuum explicatio nondum habetur; melius enim est ignorantiam profiteri quam in errorem incidere; error autem est vel falsum proferre, vel etiam dubia pro certis habere. Dicit ad rem Leo XIII:³⁷ « Quare, sicut *nemo sibi arrogaverit, ut omnem recte intelligat Scripturam*, in qua se ipse plura nescire quam scire fassus est Augustinus,³⁸ ita, si quid incidentur difficultius quam explicari possit, quisque eam sumet cautionem temporationemque ejusdem Doctoris: ‘Melius est vel premi incognitis sed utilibus signis, quam, inutiliter ea interpretando, a jugo servitutis eductam cervicem laqueis erroris inserere’ ».³⁹

CONCLUSIO

His ergo virtutum praesidiis muniti atque Summorum Pontificum doctrinis illuminati divinarum Scripturarum campum inoffenso pede percurrere poterimus, atque nullo parcentes labori ad hoc perveniemus, ut et ipse Sacrarum Scripturarum textus sit nobis perfecte notus, et scientiarum naturali lumine comparatarum auxilio illustratus, et theologica demum elaboratione perspectus, unde et ipsi, Scripturarum studio dediti, erimus erga Deum vehementi amore permoti, et aliis poterimus docendo ac divini amoris flammam ciendo quantum nostri est muneric utiles esse.

Jerusalem/Israel, mense Martio 1964

Fr. SUITBERTUS H. SIEDL, O.C.D.

³⁶ *Ibidem*, 319.

³⁷ LEO XIII, Litt. Enc. *Providentissimus*. AAS 26 (1893-94) 291.

³⁸ S. AUGUSTINUS, *ep. 55, ad Januarium* 21 [38]; CSEL 34, 212; PL XXXIII, 222.

³⁹ S. AUGUSTINUS, *De doctrina christiana*; PL XXXIV, 71.